



# Disputatio juridica inauguralis de deposito

<https://hdl.handle.net/1874/342131>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE

# DEPOSITO,

Q U A M,  
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

## D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

### PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privi-  
legiis ritè, ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examine subicit,*

HENDR. ARN. MICHAELISSEN, Vefal. Cliv.

*A. D. 21. Aug., hora locoque solitis.*




TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, c1o 1oc LXXXVIII.

DE  
PATRIÆ

FAUTORIBUS  
MEIS.



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academicæ  
Typographi, a. d. 1777.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
DEPOSITO.

THESIS I.



Depositum dictum ex eo, quod ponitur: præpositio enim *de* auget positum: ut ostendat totum, quoad custodiam ejus, apud quem deponitur *l. 1. pr. ff. h. t.* Sumitur enim variis modis (1) accipitur pro ipso contractus, §. 2. *Inst. de jure N. G. & civile & §. 3. Inst. quib. mod. re contr. oblig.* (2) pro re, quæ in contractum venit, *l. 1. pr. ff. h. t.* (3) pro depositione debitæ pecuniæ apud judicem, quam creditor accipere recusat, & vocatur *juris depositum*, quod contractui depositi planè contra distinctum est. (4) Pro obligatione, quæ ex contractu depositi resultat (5) & ultimo pro actione depositi ut in rubr. hujus tit. nostrâ sententiâ in primo significato sic definitur; *Depositum est contractus, nominatus,*

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

*jurisgentium, bona fidei, re constans, quo res gratis custodienda alicui traditur, eo sine, ut eadem illa in specie, quandocumque deponenti libuerit, restituatur, l. 1. pr. ff. b. t. d. §. 3. Inst. quib. mod. re contr. obl. l. 1. §. 5. ff. de oblig. & act. l. 7. §. 1. ff. de pactis. d. §. 2. Inst. vers. & hoc jure de jure N. G. & civile. l. 1. §. 23. ff. b. t. & §. 28. Inst. de act.*

## I I.

Etli alii alias, easque varias constituunt species, tamen cenfeo, ejus potissimum duas esse: quarum una perhibetur depositum in specie sic dictum: quando res non litigiosa, ab uno, vel à pluribus deponitur: quod & simplex & vulgare depositum vocatur, *l. 1. §. 44. ff. b. t.* altera vocatur sequestratio, *l. 5. §. 1. l. 6. l. 12. §. 2. l. 17. ff. eod. l. 110. ff. de V. S.*

## I I I.

Illud sc. depositum simplex, subdividitur in voluntarium, quod proficiscitur ex libera voluntate deponentis: & in necessarium, aliter dictum miserabile, quod descendit ex aliqua necessitate, veluti ruinae, naufragii, tumultus, incendii, *d. l. 1. §. 1. 2. l. 18. ff. b. t.* de quo prætor edicto actionem in duplum dat, si depositarius dolum adhibuerit, contra heredes tamen in simplum, *l. 1. §. 1. b. t.* rationes habemus in *d. l. 1. §. 2. 3. & 4.*

## I V.

Vidimus definitionem, divisionem, subdivisionemque, nunc nobis proveniunt personæ, & res, post explicabimus ad quid depositarius tenetur, denique actiones, quæ inde oriuntur. (1) De personis: quia in omni contractu requiritur consensus: idcirco deponere & apud se deponi permittere tantum possunt, intelle-

intellectum habentes, & consensum accommodare noscentes: ex quo consecrarium est: quod infans, ne tutore quidem auctore ex hoc contractu depositi sibi obligare alios, aut obstringi aliis queat. §. 10. *Inst. de inutilib. stipulat.* l. 1. §. 13. *ff. de oblig. & act.* l. 5. *ff. de R. J.* sic quoque nec furiosus, d. l. 1. §. 12. *ff. de oblig. & act.* d. l. 5. & l. 40. *ff. de R. J.* nec pupillus sine tutore, l. 41. *ff. de condict. indeb.* l. 59. *ff. de oblig. & act.* neque minor, l. 3. *C. de in integr. restit. minor.* vel prodigus, l. 6. *ff. de verb. oblig.* l. 9. §. 7. *ff. de rebus credit.* & d. l. 40. *ff. de R. J.* absque curatore tenentur depositi, in quantum facti sunt locupletiores, aut dolum commiserint, l. 1. §. 15. *ff. h. t.*

## V.

Omnes omnino res possunt deponi, quæ sub tactum & custodiam cadunt, alienæ propriæque; adeo ut etiam depositio rei furtivæ permittatur furi & prædoni, l. 1. §. 39. l. 31. §. 1. *ff. h. t.* l. 64. *in pr. ff. de judic.* propriæ tamen apud dominum frustra deponuntur, cum ex deposito non obligetur, l. 15. d. l. 31. §. 1. *in fin. ff. h. t.* & l. 45. *ff. de R. J.*

## V I.

Depositarius tenetur quaecumque deponenti libuerit rem restituere, §. 3. *Inst. quib. mod. re contr. oblig.* l. 1. §. 5. *ff. de oblig. & act.* ita ejus unius gratia totum hoc negotium geritur, quare etiam Ulpianus putat ne pacto quidem contrarium effici posse, l. 1. §. 45. & 46. *ff. h. t.* eo autem loco depositum est restituendum, ubi est sine dolo depositarii: nisi depositor suis impensis alibi reddi velit, l. 12. *in pr. & §. 1. ff. h. t.* l. 47. *ff. de legat. 1.* & l. 38. *ff. de judic.* aut convenerit inter partes, quo loco debeat restitui, l. 5. §. 1. *ff. h. t.* l. 7. & 9. *ff. de eo quod certo loco dari oportet.* eadem res debet restitui. §. 3. *Inst. quib. mod. re contr. oblig.* l. 1. §. 5. *ff. de oblig. & act.* nisi quantitas sit deposita, veluti pecunia, & conventum, ut tantundem red-

6 DISPUTATIO JURIDICA

deretur, tunc eandem quantitatem in genere eodem reddi, æquitati congruit, *l. 24. & 25. §. 1. ff. h. t. l. 31. ff. locat. cond.* quod si depositarius ob contumaciam nolit restituere depositum, vel ejus dolo aut latâ culpâ res deposita perierit, ut nequeat restitui: tunc judicis officio depositori potest deferri jusjurandum in litem, ut statuatur pretium rei ejus arbitrio, *l. 1. §. 26. ff. h. t. l. 2. §. 1. & l. 8. ff. de in litem jurand.* fructus quoque & omnis causa, & utilitas rei, item partus venit in restitutionem, *l. 1. §. 24. ff. h. t.* usuræ non debentur sine mora & conventionem, *l. 24. 25. cum l. 26. §. 1. & l. 29. §. 1. ff. h. t. l. 2. & 4. C. cod.*

V I I.

In custodienda porrò re deposita, tantummodo dolum & culpam latam depositarium præstare teneri, patet ex *§. 3. inst. quib. mod. re contrab. oblig. l. 1. §. ult. l. 7. pr. l. 20. & 32. ff. h. t. l. 5. §. 2. ff. commodat. l. 1. §. 5. ff. de oblig. & act. l. 23. ff. de R. F.* ratio duplex est: tum quia ille, qui tradit amico negligenti rem custodiendam; non ei, sed suæ facilitati, id imputare debet. *Ut Justinian. loquitur in fin. d. §. 3. Inst. & paulus in simili respond. in l. 23. ff. de minorib.* tum quia in deposito nullum commodum est depositarii, sed potius onus, *l. 5. §. 2. ff. commod. l. 1. §. ult. l. 20. ff. h. t. l. 1. §. 5. ff. de oblig. & act.* etsi depositarius suis rebus summam adhibere diligentiam consueverit, tamen de culpa levi non tenetur, vidimus ex *d. §. 3. & præallegatis jurib.* excipiuntur autem aliqui casus, quibus præter dolum & latam culpam, etiam culpa levis & levissima in deposito præstatur. (I) Si depositarius se obtulerit deposito *l. 1. §. 35. ff. h. t.* (II) Si in mora restituendi fuerit post revocatum depositum. *l. 12. §. ult. ff. h. t.* (III) Si depositum sit datum solius depositarii gratiâ, *l. 4. ff. de rebus cred.* (IV) Si nominatim convenerit, ut esset periculo suscipientis *D. l. 1. §. 35. ff. h. t. l. 5. §. 2. ff. commod. l. 7. §. 15. ff. de pactis.* (V) Si utriusque gratiâ

tiâ depositum sit inutum, ut si mercedem acceperit depositarius, tenetur de culpa levi, l. 1. §. 9. ff. b. t.

## V I I I.

Nascitur ex deposito duplex actio: una directa, altera contraria. *Directa est actio civilis, personalis, bona fidei, famosa, quæ datur deponenti adversus depositarium, ad id, ut rem depositam restituat, & sarciat damnum dolo vel latâ culpâ datum.* Dicitur *civilis*: quia origo est juris antiquissimi, & ex ipsis ll. 12. tab. nam tab. 3. lib. 1. cavebatur: *si quid endo deposito dolo malofactum escit, duplione luito.* Sed illud jus civile non ita distincte admittit, nec semper ob dolum in duplum agere prætor voluit: exceptis his casibus. (1) Si depositum est miserabile, l. 1. §. 1. ff. b. t. (11) datur actio depositi in duplum adversus inficiantem depositum; ex causis in d. l. 1. §. 1. (111) in hæredem non aliter datur, nisi & ipsius inficiatione crescat actio, l. 18. ff. b. t. dicitur *personalis*, ex contractu §. 3. *Inst. quib. mod. re contr. obl. bona fidei*, l. 1. §. 17. & l. 28. ff. b. t. *famosa*, §. 2. *Inst. de pœna temere litig.* l. 10. C. b. t. l. 1. ff. *qui notant. infam.* Dicitur *datur deponenti*; is ergo qui deposuit rem depositam statim à depositario potest repetere, nec refert cujusunque conditionis sit, dominus an servus, fur an prædò. l. 1. §. 32. l. 1. §. 39. ff. b. t. non solum deponenti datur sed & heredibus ejus, ceterisque successoribus accommodatur, l. 1. §. 19. ff. b. t. singulis tamen proportionè hereditaria, ut & reliqua jura, l. 2. C. de heredit. act. l. 6. C. famil. *ercisc.* quod si res individua sit deposita; uni agenti, præstitâ satisfactione restituenda erit: quod, nisi fiat, in ædem sacram deponetur: hacque ratione, omni actione, & periculo liberabitur, l. 1. §. 36. cum seq. ff. b. t. Dicitur *adversus depositarium* l. 1. §. 43. ff. b. t. in heredem quoque ejus datur hæc actio in solidum, etiam ex dolo defuncti, l. 12. de oblig. & act. l. 152. §. fin. l. 157. §. ult. ff. de R. J. Vel si plures sint, in quemlibet eorum pro ea parte, quâ he-



## § DISPUTATIO JURIDICA

res est, l. 7. §. 1. ff. b. t. nisi res divisionem non recipiat, quo casu quilibet in solidum, sed in condemnationem pro ea parte, quâ heres convenitur, l. 22. ff. b. t. datur hæc actio ad restituendam rem depositam: depositarium quodcumque deponenti libuerit rem ipsam depositam restituere teneri cum omni causa, supra satis dictum est. *Ad resarciendum damnum dolo*: tantum depositarium præstare dolum, ejusque regulæ, rationes, & exceptiones vidimus supra.

### IX.

Hæcque depositi actio illis gaudet privilegiis: (1) Ut is, qui eâ experitur, omnibus creditoribus, etiam privilegiatis, quæque tacitum vel expressum pignus non habent, præferatur, l. 7. §. 2. l. 8. ff. b. t. (2) hac actione condemnatus, aded confessim ac præcise rem restituere tenetur: ut illi quadrimestre tempus (quod aliis creditoribus ad judicatum solvendum est indultum, l. 2. C. de usur. rei judic.) haud indulgeatur, argument. l. 1. §. 22. ff. b. t. l. penult. C. b. t. (3) Sui nomine conventus & dolo vel lata culpa condemnatus, infamæ maculâ notatur, l. 1. ff. de his qui not. infam. secus si hereditario, tutorio, aut curatorio nomine damnatus sit. l. 10. C. b. t. l. 20. C. de procurat. l. 6. §. 2. ff. de his qui not. infam. (4) Nulla item compensatio, deductio, vel doli, aut non numeratæ pecuniæ, aliave altiorum indaginem requirens exceptio isthanc actionem excludit, l. penult. C. b. t. l. fin. §. 1. C. de compensat. l. 14. §. 1. C. de non numerat. pecun. §. 30. Inst. de act.

### X.

Actio depositi contraria, est actio personalis, bonæ fidei, rei persecutoria, que datur depositario, adversus deponentem, ut resarciat damnum occasione depositi ipsi datum, & ut restituat impensas necessarias in rem depositam factas, in genere ut servetur indemnis,

*demnis, l. 5. l. 8. l. 12. l. 23. ff. h. t.* est quæstio; an non ob utiles impensas rem à depositario possit retineri? Videtur non, cum officium depositarii non sit ejusmodi sumptus facere, argument. *l. unic. §. 5. taceat.* Vers. *sed nec C. de rei uxor. act.* neque autem, ut in directa, ita & in hac contraria actione in litem juratur: quia non de fide ruptâ, sed de indemnitate ejus, qui depositum suscepit, *l. 5. pr. ff. h. t.* ideoque hoc in judicio damnatum infamia non sequitur, *l. 1. l. 6. §. ult. ff. de his not. infam. §. 2. Inst. de pœn. temer. litig.*

X I.

Hæc de speciali five vulgari deposito breviter explicata sufficiant: succedit modo *sequestratio: quæ est rei litigiosæ à pluribus facta depositio, l. 6. l. 17. ff. h. t.* dictaque à *sequestro*, qui est is, *apud quem fit ejusmodi depositio, l. 110. ff. de verb. sign. d. l. 17.* sequester autem auctore *modestino*, à sequendo dicitur; & *Gellius, lib. 20. cap. 11.* non tantum, quod ipsi depositores fidem illius sequantur, sed etiam, quod ipse sequester quasi sequatur eos, qui de re contendunt, paratus eam restituere parti alterutri, cui ex lege depositi ipsam reddi oportet, *dict. l. 110. ff. de V. S.*

X I I.

Dividitur vulgo sequestratio in *voluntariam* five *conventionalem*, & in *necessariam* five *judicialem* seu *pretoriam*; *Voluntaria* est rei litigiosæ depositio, quæ fit merâ partium litigantium voluntate ac conventionem, *l. 5. §. 1. l. 6. l. 17. §. 1. in verb. id enim agitur ea deposit. ff. h. t. l. 5. ff. famil. ercisc. l. 5. §. 1. vers. sed si nec ipsi. ff. ut legat. seu fideicommiss. servand. caus. cav. quæ regulariter est permilla, d. l. 5. §. 1. & l. seq. ff. h. t. l. 39. ff. de acq. vel amitt. poss.* & privat possessorem sua possessione, si possessio penes sequestrum deposita est, tunc neque actor, neque reus possidet, *l. 17. §. 1. ff. h. t.*

## XIII.

Necessaria seu judicialis sequestratio est, quæ fit auctoritate judicis parte invitâ, l. 7. §. ult. ff. qui satisf. cogunt. quæritur an hæc sit permissa? Quod nego, l. unic. C. de prohibita sequest. pecun. quod illa lex agit de pecunia, non intelligendum est de pecunia tantum numerata, sed de quibusvis corporibus: nam sciendum est: quod pecuniæ verbum in jure nostro trifariam accipiat. (I) Enim strictè sumitur & duntaxat pecuniam numeratam seu signatam denotat: idque præcipue fit quando *Epitheton numerata* aut *signata* verbo pecuniæ adjicitur, aut significatio ex re subjecta colligitur, arg. l. 178. ff. de V. S. L. 7. §. 3. ff. ad Sct. Maced. l. 4. §. 1. ff. de reb. cred. (deinde) latè, pro rebus, pondere, numero, mensurâve constantibus, ut in l. 19. §. 1. 30. pr. ff. de legat. 1. (III) latissimè capitur, pro omni re, quæ in patrimonio nostro esse potest, tam mobili, quam immobili, sive sint corpora, sive jura, d. l. 178. ff. de V. S. L. 222. ff. cod. l. 30. §. 1. ff. de verb. oblig. l. 37. ff. de peculio. l. 2. C. de const. pecun. Verè hac apertissima lege, &c. nihil ergo vetat, quo minus eodem generali sensu verbum illud in d. r. C. de prohib. sequest. pecun. accipitur. Porro nemo in possessione, ne rescripto quidem supremi principis, est turbandus, quia nemini possessionis suæ commodum absque legitima causæ cognitione adimi debet, l. 6. C. unde vi, l. 7. C. ad leg. Jul. de vi publ. est quippe commodum possessionis maximum, §. 4. Inst. de interd. (II) Quia processum ab executione inchoari, minimè juri congruit, l. 1. C. de execution. rei judic. adeo ut etiam sententia, contra ordinis notorium lata, ipso jure nulla existimetur, l. 4. C. de sentent. & interlocut. omn. jud. Atqui sequestrationem esse quandam executionis speciem, negari non potest, uti tradidit Colerus, d. part. 1. de process. execut. cap. 2. n. 81. (III) Quia non solum ratio juris dicitur, ut actor, qui sibi reum condemnari cupit, intentionem plenè suam probet, l. 2.

¶ *l. 12. ff. de probat. l. 23. C. cod. l. 4. C. de edendo.* Verum etiam ipsa æquitas hoc persuadet. Iniquissimum namque foret lite super quadam rem motâ, & actore nil probante sicque reo non convicto, rem litigiosam reo adimere & tertio tradere, aliâs quilibet intendere litem, commodumque possessionis alteri eripere possit. Multi tamen recensentur à doctoribus casus, quibus etiam judicialis sequestratio licita, permittiturque judicatur. Paucos, eosque præcipuos & qui communi in hominum usu frequentius occurrunt, tantummodò perstringamus.

## X I V.

Primus itaque casus est, cum lis de re mobili & possessor suspectus est de fuga aut dilapidatione, aut prodigalitate bonorum suorum, nec fatiscat fisti iudicio, *l. 16. ff. de offic. præsid. l. 7. §. fin. ff. qui satisd. cog.* quomodo autem dilapidatio seu prodigalitas probetur, abundè post alios, declarat, *Joseph. Mascardus* Vol. 1. de probat. conclus. 515. & Volum. 3. conclus. 1234. imò hoc casu, quo scilicet debitor de fuga suspectus est, non tantum sequestratio rerum, sed etiam personarum concessa intelligitur; aded, ut debitor fugitivus per creditorem, si periculum fugæ præsens sit, & iudicis copia haberi nequeat, propriâ autoritate capi & in carcerari possit, arg. *l. 10. §. 16. ff. que in fraud. cred. l. 54. C. de decurion.* Vide *gail. lib. 2. observ. 44.*

(II) Si de momentanea aut litigiosa possessione lis orta fuerit, & præsens periculum, metu sive armorum subsit. *l. 13. §. 3. ff. de usufr.* Cur enim (inquit *Julianus*) ad arma & rixam procedere patiatur prætor, quos potest sua jurisdictione componere, (III) Si is qui possidet agrum, pendente appellatione depopulaverit agrum, tum solent fructus sequestrari, *l. 21. §. ult. ff. de appellat.* (IV) Dos solet sequestrari, si maritus eam dissipaverit aut ad inopiam vergat. *l. 39 in fin. C. de jure dor.* (V) Quintum sequestrationis casum præbet jus Canonicum in puella, quam duo adolescentes ambiunt, & uterque matrimonium sibi ab ea

contendit promissum. Hic namque copula interdicti & puella, donec lis finiatur, in domo honesta sequestrari debet. *Cap. 14. in verb. donec & panormitan. num. 4. exir. de sponsalib. gail. lib. 1. observat. 112. num. 15. & lib. 2. observat. 45. num. 7. (VI)* Sextus casus obtinet, in emptione & venditione: si nimirum inter emptorem & venditorem lis oriatur de solutione pretii, ac rei venditæ traditione, & alteruter fidem alterius suspectam habeat, ita ut pretium tutò venditori numerari, vel merx aut res vendita emptori absque periculo tradi nequeat, *l. 39. in fin. ff. de solut. & liberat. (VI)* Et ultimum sequestrationis casum supeditat res, tempore peritura; quæ lite motâ, vendi implorato iudicis officio, ejusque pretium sequestrari poterit, arg. *l. 20. C. de agricol. & censit. & l. ult. §. 1. ff. de requirend. vel absentib. damnand.*

## X V.

Porro ad officium sequestri pertinet; ut rem penes se depositam diligenter ac fideliter custodiat: ne ipsius dolo, latæve culpâ ista res quid incommodi capiat, arg. *§. 3. Inst. quib. mod. re contr. oblig. l. 1. l. 32. ff. h. t.* Sed & sequester non solum rem ipsam, ne deterior fiat, custodire: Verum etiam fructus colligere, intactum reponere, dissipata & malè ablata revocare: adeoque ea omnia facere debet, quæ vir bonus in re aliena custodienda & administranda facere solet; donec lis finiatur vel causa determinetur, *cap. 2. exir. de sequest. possess. & fruct. l. 5. §. 1. vers. si nec ipsi. ff. ut legat. seu fideicommissor. l. 5. §. 22. ff. ut in poss. legat vel fideicommissor. servand. caus. esse lic.* quin & hoc ad officium sequestris spectat: ut fructus tempore perituros distrahat; & pretium inde redactum, pro utilitate litigantium, in usuras concedat; fructus autem morâ non deteriores futuros, studiosè conservet & custodiat, arg. *d. l. 5. §. 22. vers. quinimosuales. ff. d. t. l. 20. §. 1. C. de agric. & censit.* neque vero fructus tantum, sed & ipsam rem litigiosam quæ tempore sive morâ est peritura, in  
litigan-

litigantium commodum sequester vendere, & pretium inde redactum loco rei custodire, ac conservare poterit, arg. *d. l. 20. §. 1. & 2. C. de agric. & censit.*

## X V I.

Planè finitur sequestratio quatuor potissimum modis. (I) Quidem litis terminatione non ambigitur, *l. 7. §. ult. ff. qui satisd. cog. l. 9. §. 3. vers. donec inter vos, & c. ff. de dolo malo.* (II) Per sequestris renuntiationem, justissimâ causâ, iudicisque auctoritate interveniente, factam, *l. 5. §. fin. ff. h. t.* porro officio sequestris per renuntiationem admissam finito, litigiosa res, non semper parti, quæ præsens in iudicio est, restituitur: sed potius apud ædem aliquam sacram, vel officium publicum, aut penes tertium aliquem deponenda est. *Rarò*, (inquit Jurisconsultus loco jam allegato,) *ei restituenda est, qui venit.* (III) Finitur conditione existente, sub qua concessa fuerit sequestratio, arg. *l. 6. ff. h. t. & d. l. 9. §. 3. ff. de dolo malo*, idque tamen necessaria, quam voluntaria procedere, verius est. (IV) Et ultimo modo, sequestrationem morte sequestris finiri, vix dubitari potest. Nam cum industria & fides personæ hic sit electa: Officium hoc ad hæredes non transit: sed morte illius, qui est electus, extinguitur, arg. *§. 8. Inst. de mandato l. 13. ff. solut. matrim.*

## X V I I.

Duæ actiones ex sequestratione descendunt: ut in deposito; directa & contraria. *Actio directa datur finita lite victori, adversus sequestrem, ut rationes reddat, & rem litigiosam ad custodiendum acceptam, restituat cum omni causa, l. 1. §. 24. l. 5. §. 1. ff. h. t. l. 9. §. penult. & ult. ff. ad exhibendum.* datur quoque hæc actio adversus sequestratorem, ut exhibeat eo loco rem depositam, quo conventum est. Quod si pluribus

locis convenit: in arbitrio sequestris est, quo loco exhibere velit, *d. l. 5. §. 1. ff. h. t.* sed si nihil convenit denuntiandum ei est, ut apud prætorem exhibeat, *d. l. 5. §. 1. in fin.* præterea etiam in hæredem ipsius sequestris, hanc sequestriam depositi actionem reddi, palàm est in *l. 7. §. 1. & l. 12. §. 2. in fine ff. b. t.* sicuti & heredibus eorum, qui litigiosam rem sequestrarunt, directam hanc actionem, cum sit rei persecutoria, competere certum est, *l. 1. §. 19. ff. b. t. §. 17. Inst. de action.*

## XVIII.

*Actio sequestraria depositi contraria accommodatur sequestro, adversus deponentes vel adversus victorem ut servetur indemnitas, d. l. 5. pr. ff. b. t.* neque enim ratio juris patitur ut suum officium ei sit damnosum, *l. 61. §. 5. ff. de furtis.* datur & heredibus, ut & contra litigantium hæredes: hi enim cum eorum bona possideant: æquum omnino est, ut solvant sumptus, & alia, quæ sequestratione præstiti officii debentur, *arg. l. 14. ff. de condit. indebiti. l. 206. ff. de R. J.*

## XIX.

Pervenimus nunc ad differentiam inter depositum simplicem & sequestrum (I) differunt: sequestrum non consistit, nisi in re litigiosa, quod non est in simplici deposito. (II) Requiritur etiam in sequestro, ut duo pluresve deponant: depositum vero à parte deponentis unicâ duntaxat personâ contentum est, *l. 17. in pr. ff. b. t.* (deinde) apud sequestrum unusquisque in solidum videtur deponere, cum rem totam suam putet: quod aliter est, quando id quod commune est plures deponunt, qui pro parte tantum se norunt esse dominos, *d. l. 17. ff. b. t.*

Quæritur ultimo loco; an in sequestrem rei depositæ possessio transeat? dubia valde est, mirumque in modum agitata, diversisque interpretum censuris vexata quæstio. Alii sequestrum nunquam possidere contendunt. Plerique inter voluntariam & sequestrationem necessariam distinguentes, in illa possessionem amitti, in hac non item, statuunt. Aliqui alias & quidem diversas distinctiones & subdistinctiones adferunt. Nonnulli denique & maxime recentiores, indistinctè tenent: quod possessio in sequestrem non transeat: nisi expressè ac nominatim à partibus litigantibus sit actum, dictum & conventum. Atque hæc sententia (quam verissimam esse putamus) confirmatur. (I) Manifestò & inevitabili textu *l. 39. ff. de acquir. vel amitt. possess.* (II) non aliud permittit natura depositi, cujus sequestrum species est *l. 6. ff. h. r.* nihil nisi custodiam transferri volens, *l. 1. ff. h. r.* at custodia actum possessionis nullum habet: cum separata sint possessio & custodia, *l. 3. §. ult. ff. de acquir. vel amitt. possess.* nam possessio est *detentio cum effectu, rem sibi habendi*. Et sequester non tenet animo sibi habendi, vel victori. (III) Accedit, quod missus ob contumaciam alterius in possessionem, non possideat, *l. 12. ff. quib. ex caus. in possess. eatur. l. 5. in pr. ff. ut in possess. legat. vel fideicommiss. servand. caus. esse lic.* ergo multo minus sequestratione possessio transferetur. Adhæc ut possessio transferatur, titulus habilis & idoneus requiritur: alias justo titulo deficiente, res custodiæ causa tradita censetur, *l. 77. §. 21. ff. de legat. 2.* depositi verò titulum habilem ac idoneum non esse, ut per eum possessio transferri possit, apparet ex *d. l. 1. & l. 6. ff. h. r.* hoc amplius officium sequestris est: rem in gratiam deponentium asservare usque ad litis finem: Illis, quibus ad maximum contraria sententia arridet, pro ut vires valeant, satisfacere nobis proposuimus. Hisce igitur materiæ depositi finem imponemus.



# COROLLARIA.

I.

*Res immobilis non potest deponi.*

II.

*Retentio rei deposita fieri ob impensas necessarias potest, ob utiles non aequè.*

III.

*Sequestratio est contractus.*

